

Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret, ut omnis qui credit in eum non pér-eat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium in mundum ut iúdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. — Verbum Dómini.

Quando hoc festum celebratur die dominica, dicitur Credo.

Super oblata

Hæc oblátio, Dómine, quæsumus,
ab ómnibus nos purget offénsis,
quæ in ara crucis totíus mundi tulit offénsam.
Per Christum.

Præfatio: De victoria crucis gloriosæ.

℣. Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.

℞. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui salútem humáni géneris in ligno crucis constituísti,
ut, unde mors oriebátur, inde vita resúrgeret;
et, qui in ligno vincébat, in ligno quoque vencerétur:
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.

Cæli cælórúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,
sócia exsultatióne concélebrant.

Cum quibus et nostras voces ut admítteri iúbeas,
deprecámur, súpplíci confessiône dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Dici potest etiam præfatio I de Passione Domini, p. 587.

Ant. ad communionem

Io 12, 32

Ego si exaltátus fúero a terra,
omnes traham ad meípsum, dicit Dóminus.

Post communionem

RefectiÓne tua sancta enutrítí,
Dómine Iesu Christe, súpplíces deprecámur,
ut, quos per lignum crucis vivificæ redemísti,
ad resurrectiÓnis glóriam perdúcas.
Qui vivis.

Die 15 septembris

Beatae Mariæ Virginis Perdolentis

Memoria

¶ Evangelium huius memoriæ est proprium.

Ant. ad introitum

Lc 2, 34-35

Dixit Símeon ad Mariám:
Ecce, pósito est hic in ruínam
et in resurrectiÓnem multórum in Israel,
et in signum cui contradicétur;
et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius.

Collecta

Deus, qui Fílio tuo in cruce exaltáto
compatiéntem Matrem astáre voluísti,
da Ecclésiæ tuæ,
ut, Christi passiónis cum ipsa consors effécta,
eiusdem resurrectiÓnis párticeps esse mereátur.
Per Dóminum.

Lectio prior

*Didicit obœdientiam,
et factus est auctor salutis æternæ.*

Lectio Epistolæ ad Hebræos

5, 7-9

Christus, in diébus carnis suæ, preces supplicatio-
nésque ad eum qui possit saluum illum a morte fá-
cere, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, et exau-
dítus pro sua reveréntia, et quidem cum esset Fílius,
dídicit ex his quæ passus est obœdiéntiam; et, consum-
mátus, factus est ómnibus obœdiéntibus sibi auctor sa-
lútis æternæ. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 2-3 b. 3 c-4. 5-6. 15-16. 20 (R.: 17 b)

R. Saluum me fac, Dómine, in misericórdia tua.

² In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum;
in iustítia tua líbera me.

³ Inclína ad me aurem tuam,
accélera, ut éruas me. R.

Esto mihi in rupem præsidii et in domum munitam,
ut saluum me fácias.

⁴ Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. R.

⁵ Edúces me de láqueo quem abscondérunt mihi,
quóniam tu es fortitúdo mea.

⁶ In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. R.

¹⁵ Ego autem in te sperávi, Dómine;
dixi: « Deus meus es tu,

¹⁶ in mánibus tuis sortes meæ ».

Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persecúentibus me. R.

²⁰ Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,
quam abscondísti timéntibus te!
Perfecísti eis qui sperant in te,
in conspéctu filiórum hóminum. R.

Sequentia

Hæc sequentia ad libitum dicitur vel integra vel forma brevior,
inde a verbis: * Sancta mater.

Stabat mater dolorósa
iuxta crucem lacrimósa,
dum pendébat Fílius.

Cuius ánimam geméntem,
contristátam et doléntem
pertransívit gládus.

O quam tristis et afflícta
fuit illa benedícta
mater Unigéniti!

Quæ mærébat et dolébat
pia mater cum vidébat
Nati pœnas íncliti.

Quis est homo qui non fletet,
matrem Christi si vidéret
in tanto supplicio?

Quis non posset contristári,
píam matrem contemplári
doléntem cum Fílio?

Pro peccátis suæ gentis
vidit Iesum in torméntis
et flagéllis súbditum.

Vidit suum dulcem Natum
moriéntem, desolátum,
cum emísit spíritum.

Eia, Mater, fons amóris,
me sentíre vim dolóris
fac ut tecum lúgeam.

Fac ut árdeat cor meum
in amándo Christum Deum,
ut sibi compláceam.

* Sancta mater, istud agas,
Crucifíxi fige plagas
cordi meo válide.

Tui Nati vulneráti,
tam dignáti pro me pati
pœnas mecum dívide.

Fac me vere tecum flere,
Crucifíxo condolére,
donec ego víxero.

Iuxta crucem tecum stare,
ac me tibi sociáre
in planctu desídero.

Virgo vírginum præclára,
mihí iam non sis amára,
fac me tecum plángere.

Fac ut portem Christi mortem,
passiónis fac me sortem
et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári,
cruce hac inebriári
et cruóre Fílii.

Flammis urar ne succénsus,
per te, Virgo, sim defénsus
in die iudícii.

Fac me cruce custodíri,
morte Christi præmuníri,
confovéri grátia.

Quando corpus moriétur,
fac ut ánimæ donétur
paradísi glória. Amen.

Alleluia

℟. Alleluia. ℣. Felix est beáta María Virgo,
quæ sine morte méruiť martýrii palmam
sub cruce Dómini. ℞. Alleluia.

Evangelium*

*Quæ mærebat et dolebat
pia mater cum videbat
Nati pœnas incliti.*

✠ Lécťio sancti Evangéľii secúndum Ioánnem 19, 25-27
In illo témpore:

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius, María Cléopæ et María Magdaléne.

Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus »; deínde dicit discipulo: « Ecce mater tua ». Et ex illa hora accépit eam discipulus in sua.

Verbum Dómini.

Vel

Tuam ipsius animam pertransiet gladius.

✠ Lécťio sancti Evangéľii secúndum Lucam 2, 33-35
In illo témpore:

Erat pater Iesu et mater mirántes super his, quæ dicebantur de illo.

Et benedixit illis Sýmeon et dixit ad Mariám matrem eius: « Ecce pòsitus est hic in ruínam et resurrectionem multórum in Israel, et in signum cui contradicetur (et tuam ipsíus ánimam pertransiet gládus), ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, miséricors Deus, ad tui nóminis laudem preces hostiásque in veneratióne beátæ Mariæ Vírginis exhibitas, quam, stantem iuxta crucem Iesu, cleménter nobis Matrem piíssimam providísti. Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (Et te in festivitáte), p. 598, vel II, p. 599.

Ant. ad communionem 1 Petr 4, 13

Communicántes Christi passióibus, gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.

Post communionem

Sumptis, Dómine, sacraméntis redemptionis æternæ, súpplīces deprecámur, ut, compassiōnem beátæ Mariæ Vírginis recoléntes, ea in nobis pro Ecclēsia adimpleámus, quæ desunt Christi passiōnum. Per Christum.

Die 16 septembris

Ss. Cornelii, papæ,
et Cypriani, episcopi, martyrum

Memoria

De Communi martyrum, p. 834.

Vel de Communi pastorum (pro episcopis), p. 867.

Collecta

Deus, qui pópulo tuo beátos Cornélium et Cypriánum sédulos pastóres et invictos mártires præstitísti, concéde ut, eórum intercessiōne, fide et constántia roborémur, et pro Ecclēsiæ unitáte óperam tribuámus impénse. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 854, n. 3.

Psalmus responsorius, p. 851.

Evangelium, p. 863, n. 7.

Super oblata

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera pópuli tui pro mártirum tuórum passióibus dicáta sanctórum, et quæ beátis Cornélio et Cypriáno in persecutióne fortitúdinem ministrárun, nobis quoque præbeant inter advérsa constántiam. Per Christum.

Post communionem

Per hæc mystéria quæ sumpsimus, Dómine, súpplīces exorámus, ut, sanctórum mártirum Cornélii et Cypriáni exémplo, Spíritus tui fortitúdine confirmáti, evangélicæ veritáti possímus testimónium perhibére. Per Christum.